

P. B. Vidalin
in Natal
Frid. Vti.

AVSPICATISSIMO NATALI

SERENISSIMI POTENTISSIMIQVE

REGIS AC DOMINI

FRIDERICI QVINTI

DANIAE NORVEGIAE VANDALORVM GOTHORVMQVE REGIS

DVCIS SLESVICI HOLSATIAE STORMARIAE DITMARSIAE

COMITIS OLDENBVRGI ET DELMENHORSTI

PATRIAE PATRIS PII FELICIS AVGVSTI

DOMINI SVI LONGE CLEMENTISSIMI

HAEC PAVCA

TESTANDAE SVMMAE DEVOTIONIS ERGO

SVBIECTISSIME SCRIPSIT

PAVLVS BERNARDI F. VIDALINVS

ISLANDVS

LIPSIAE

EX OFFICINA BREITKOPFIA

MDCCLIIII

Tabulae, qua tanquam felicatis picturae linearis quibusdam frons carminis ornatur, haec est sententia.

Regis potentissimi pii felicis Imago in sinu a Minerua Iouis filia habetur. Comites ei desuper adsunt Erato ac Thalia Musae. Infra velut prouincia Thule seruans gregem suum mulier, dum spectat florentem patriam, natos suos docet precibus ad caelum regendis beneficium summi numinis Regem optimum venerari.




i fas mortalem Regi dare thura deorum;

Maximus a minimo ſi patiturque coli:

Haec TIBI nec ſpernas, O SVMMO PROXIME DIVVM,

Thura dari a ſeruo qualiacunque, precor:

Sed quae ſola mihi praebet TVA regia virtus,

Et iubet vt pietas proferat arte carens.

Ille ego, quem Thule genuit, Philuris tenet alma,
Qui patriae ac Mufis viuere poffe velim,
Vifa mihi referam. Coeptis condonet, et altum
Ne dedignetur NVMEN adeffe TVVM!
Lucida iam noctis tenebras Aurora parabat
Pellere, quam menfis Martius vltimam habet,
Quum fomnus blande mihi mulcens lumina feffa
Mente frui interea liberiore dedit.
Haec me fubiectam fignis Erymanthidos vrfae
Transtulit in terram nunc memoranda quies.
Vallis erat celfis circumdata montibus: amnis
Per mediam liquidas in mare voluit aquas:
Perculeratque niues, radiisque fugarat Apollo,
Quo poffet virides exferere herba comas.

Hic matrem teneris cum natis pascere vidi
Paruum, diuitiae pauperis ille, gregem.
Agnoui vultus patriae. Mox ora resoluit,
Et caelum solito laetius adspiciens:
Salue lux, inquit, quae nobis sola salutem
Fers, alias quantam saecula nulla ferent!
Quippe mihi DOMINVM, cui debeo cuncta, dedisti;
Quem, quamuis miseris, non pudet esse patrem;
Cuius et, vt viuam et valeam, indulgentia fecit,
Neue forent vllis haec mea, praeda lupis.
Nec satis hoc ILLI. Cumulauit nos quoque donis,
Vt leni imperio nemo subesset inops.
Iste prius sterilis campus, perstrictus aratro
Iam nostrum Cereris munere corpus alit:

Atque peregrino patriis nunc pannus in oris
Confectus melius corpora noſtra tegit:
Piſcandique habiles, portandis mercibus aptae
Velificant binae per freta noſtra rates:
Quodque ego debueram, reparata eſt, dicere primum,
Fama mihi, liuor quam temerauit edax.
At, quaecunque recens aduexit commoda tempus,
Deficeret, vellem ſi numerare, dies.
Illa TVO ſunt facta, PARENS O MAXIME, nutu:
Et TVA porrexit ſingula larga manus.
Ergo TVA haud metuens glaciem clementia vaſti
Oceani, rigidum iam fouet alma polum?
Sic TVA MAIESTAS, cum bello vincere poſſet,
Tantum alios populi vincit amore ſui.

Sed quid ago? magni FRIDERICI laudibus impar.
Doctior has cantet nobiliorque chorus!
Nec minus audacis foret, haec ſublimia facta
Infirma lingua ſuſtinuiſſe loqui,
Quam laudaſſe quidem: niſi me memorem eſſe iuuaret,
Cum nunquam reddi gratia digna queat.
Quae valeo ſoluo tamen ardentiſſima vota
Pro DOMINO, quo non mitior vllus erat.
Conſeruare velit CAPVT HOC, quo ſoſpite felix
Arctos erit ſemper, nam dedit ipſe, Deus;
Et precor, vt ſero mortalibus eximat ILLVM,
Quem viuum Superis annumerare poteſt:
HVIC et AVO HEROI ſimiles regnare Nepotes
Immenſa ſerie perpetuo iubeat!

Desierat. Cuncti repetebant vltima nati
  Gaudentes palmas tollere ad astra pias.
Ipse eadem dixi per somnum dulcia verba:
  Nec sopor orantes impedit ille manus.
Quo simul excusso natalem, AVGVSTE, videbam
  Illuxisse diem, gaudia nostra, TVVM.
Et vigilans iterum fundo fundamque perennes
  Illas, dum reget haec spiritus ora, preces.
Annuat aeternum Numen: rogat orbis, et huius
  Pars Thule meritis vltima plena TVIS.
Ast ausis, PATRIAE PATER, his ignosce serenus,
  Optime: quos fructus gratia tanta tulit.
Sic viuas felix, arctoïs gloria terris:
  MAIESTASque diu sit TVA nostra salus!



